



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. CXII. Beatus uir timet Dominum: in mandatis eius, &c. Carm. gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Quippe Dei sanctum est & formidabile nomē,
 Ac sanctè sua pacta tuetur:
 Exigit & duras uiolato fœdere pœnas.
 Hunc colere ex animoq̄ uereri
 Viuendi rectè fons & sapientia prima est.
 Hanc cunctos qui dirigit actus
 Ad metam, uerè sapit: hunc uentura nepotum
 Semper dicent sæcla beatum.

PSAL. CXII. *Beatus uir qui timet Domi-
 num: in mandatis eius, &c. Carm. gen. 3.*

BEatus ille qui Deum rerum patrem
 Pietate non ficta colit:
 Deiq̄ gaudet legibus: mores suos
 Formare ad illas nititur.
 Latè per urbes diuites potentiam
 Eius propago proferet.
 Prolem piorum numinis benignitas
 Larga beabit dextera.
 Res affluenter suppetet semper domi
 Illi: nec ætas longior
 Obliterabit æquitatis gloriam
 Fructumq̄. Quum premet malos
 Fortuna, sæuo gestiens ludibrio
 Mutare summis infima,
 Benignitatis tum suæ iustis Deus
 Lucem in tenebris offeret.
 Clemens bonusq̄ in omnibus periculis
 Stirpem piorum muniet.
 Misertus inopis uir bonus, larga manu
 Succur-

Succurret indigentia:

Sic cuncta iusto temperans examine,
 Nec uerba temere ut excidant.
 Non turbo sortis cuncta quatientis, loco
 Mouebit illum, nec dies
 Suprema famam condet eius inuida
 Obluij silentio.
 Non liuor illum falsa gaudens spargere
 Terrebit, aut calumnia:
 Bellisue rumor, aut egestas lurida,
 Fragorq; leti proximi:
 Sed mente firma prouocat discrimina,
 Deoq; solo nititur.
 Ceu cana rupes murmurantis æquoris
 Spernit minaces impetus:
 Sic ille certa interritus fiducia
 Sortis procellas sustinet:
 Ac sustinebit, dum ruinas hostium
 Saluus suorum aspexerit.
 Opes uolucris instar auræ mobiles
 Largitus est egentibus,
 Sibi æquitatis gloriam superstitem
 Seruauit: orbe gloriam
 Viuaciorem, nec senectæ dentibus
 Aeruginosæ obnoxiam.
 Dum laude clarum, réq; lautum splendida
 Spectabit impius pium,
 Curæq; mentem uellicabunt anxia,
 Succumq; carpent corporis,
 Dentem fatigans dente ringetur, luc
 Se macerabit tabida.

Dominus

Dominus malorum uota ridet irrita,
Spes ut modestas promouet.

PSAL. C X I I I . Laudate pueri Domi-
num, laudate nomen Domini, &c.

Carm. gen. 25.

PSallite Dominum pueri, Domini
Nomen festo tollite cantu.
Nomen Domini sit benedictum,
Et sæclorum in sæcula longi
Nulla obliuio sentiat æui.
Primo à carcere solis Eoi
Ad purpureos usq; Occasus,
Omnes Domini nomen adorent,
Qui gentes super arduus omnes
Celsas ætheris incolit arces.
Cuius longè gloria mundi
Trans flammantia mœnia uecta est.
O pietatis nescia ueræ
Pectora: ritu sacra nefando
O qui fingitis, anne deorum
Quenquam Domino similem nostro
Nostis? quem super ardua cæli
Culmina positum nil latet imæ
Sub caua clausum uiscera terræ,
Nil humano procul aspectu
Trans multiplices ætheris orbis:
Inopem terræ qui prostratum
Suscitat, & de puluere egenum

Tollit